

hæc duo sulphura Veneris & Martis nomine designata in suo manifesto dependeant à rubedine, hoc pro certo indicio ponebas ipsa & sicca esse in manifesto, Ergo Rasis intelligit hoc loco sulphur quod Martem appellamus, quod post sublimationem dealbatur ut argentum, nimirum itidem etiam tu de hoc sulphure loquens & ipsius lotionem ostendens de lotionem argenti vivi loqueris.

GEBER. Satis argutè hoc: volebam tamen his verbis quoq; significare in Marte communi quoq; contineri argentum vivum; Philosophorum, ea de causa quòd post putrefactionem tota substantia Martis communis rufa est ut sanguis, & sub hac rubedine est ipsum argentum vivum in forma salis albi ut calx. Hermes vero dicit omne secretum consistere in vitro & sale. Aros philosophus dicit, accipito sal commune (dico autem commune omnibus metallis) ne intelligas marinum, scias tamen aliud sal me non novisse neq; aliud atramentum, illo excepto qui habetur in Capillis Virginis paschalis.

DEMO: Intelligere nequeo quænam sit virgo hæc paschalis.

GEBER. Veteres occultaverunt secreta naturæ non solum in scripturis sed etiam sub variis Picturis, Characteribus, Zifris, monstris & animalibus, diversis modis depictis & transmutatis, hæc pro templorum foribus & palatiis insculpta visebantur, à nemine vero intelligebantur, exceptis illis qui hujus secreti aliquam habebant cognitionem.